

sanitas sempiterna : effugiat ex hoc loco accessus
dæmonum : adsint Angeli pacis : domumque hanc
deserat omnis maligna discordia. Magnifica, Do-
mine, super nos Nomen sanctum tuum, et benedic †
nostræ conversationi : sanctifica nostræ humilitatis
ingressum, qui sanctus et pius es, et permanes cum
Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum.

R. Amen.

Orémus, et deprecémur Dominum nostrum Je-
sum Christum, ut benedicendo benedicat † hoc
tabernaculum, et omnes habitantes in eo, et det
iis Angelum bonum custodem, et faciat eos sibi
servire ad considerandum mirabilia de lege sua :
avertat ab eis omnes contrarias potestates : eripiat
eos ab omni formidine, et ab omni perturbatione,
ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur.
Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat.
Deus in sæcula sæculorum. R. Amen.

OREMUS.

EXAUDI nos, Domine Sancte, Pater Omnipotens,
æterne Deus, et mittere digneris sanctum An-
gelum tuum de Cœlis, qui custodiat, foveat, pro-
tegit, visitet, atque defendat omnes habitantes in
hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum.
R. Amen.

Quæ Orationes, si tempus non patiatur, ex parte,